

06  
A  
967



38

DISPUTATIO  
PHYSICA  
*De*  
**ANIMARVM  
HUMANARUM  
ORIGINE,**

*Quam  
Sacro-sancta & individua Trinitatis  
auspicijs*

*In florentissima VVITTEBERGENSI Academia*

*SUB PRÆSIDIO*

*Clarissimi & acutissimi Philosophi*

**Dn. JACOBI MARTINI**

*HALB: LOGICES ET PHILOSOPHIAE  
practicæ Profess. publ.*

*Publicæ disquisitioni subjicit atq; defendit*

**JACOBUS RATICHUS NEOBRAN-**  
*deburgensis Megaloburgicus.*

*In Acroaterio magno ad diem 26. <sup>15 Septemb.</sup> Augufti  
boris matutinis.*



WITTEBERGÆ

*Ex Officina Typographicaliobannis Matthæi.*

ANNO M. DC. XV.



## VIRIS

Clarissimis, Consultissimis atq; præstans-  
tissimis,

06 A 967 Dn. CHRISTOPHORO Krauthoffen

J. U. D. celeberrimo & pragmatico  
apud Sundenses Eximio

Dn. HENRICO Krautthoffen J. U. Doctori  
& judicij provincialis Megapolensis Advocato  
dignissimo.

Dn. DANIELI Krautthoffen J. U. Candidato  
& Reip. Neobrand. Senatori spectatissimo  
atque dignissimo

Dn. BERNHARDO Krautthoffen / Civi a  
pud Neobrandenburgenses Primario.


FRATRI.  
BUS GER  
MANIS,

Dominis Mecænatibus Promotoribus & Fautoribus  
suis per benignis omni observantia cultu aeternum  
colendis, S. D.

**P**rincipale scientia Christianæ munus duplex  
esse ab Hieronymo fertur: Unum, ut Deū: Al-  
terum, ut creaturam ejus cognoscamus. Ac cum  
inter omnes res creatas homo facilè principem locū  
teneat & in homine anima corpori præstet: anima  
cognitionem ut in creaturis præstantissimam pau-  
lulum delibare sum annixus. Atq; non de ejus sub-  
stantia, utrum corporeæ vel incorporeæ, utrū sim-  
plex vel composita &c. Sed de ejus origine tantū  
quid principaliter etiam à gravissimis quibusdam  
autho-

authoribus sentiatur in disputationem quandam  
redigere atq; conscribere allaboravi: Cum etiam  
viri Cl. C. & P. hujusmodi studia Viris benevolis  
inscribi, pro more in Academiis habeatur. Ego,  
qui vestram benevolentiam atq; humanitatem in-  
credibilem erga me meosq; mihi vinculo amicitiae  
conjunctissimos affatim sum expertus, Sapientia ani-  
mo reputans meo quo pacto tanta nobis exhibita  
beneficia possint præsertim à me qui præ aliis hisce  
maxime sum affectus recompensari, hanc de ani-  
ma propagatione dissertationicula vobis Viri Ex:  
**Con. & Præst.** consecrare, non quidem gratias re-  
ferendas (munus enim ut nos tis hoc meū est Char-  
taceum & vis referendi adhuc deest) sed gratitu-  
dinem firmiter in animo semper latitantem modo  
declarandam sategi. Hasce igitur chartas ingen-  
tis amoris erga vos mei atq; gratitudinis testes esse  
patiamini. In posterum dabo operam ut hac vel  
alia via vobis me plura debere agnoscam, gratitu-  
dinisq; meæ perpetuam significationem faciam.  
Valete atq; favete. VVittebergæ 19. Aug. Anno  
redempti orbis M. D. C. XV.

Jacobus Ratichius  
Auth: & Resp.



## THESIS I.

Ariè, & quidem gnaviter, non ab antiquis tantum, multis ab hinc seculis esse disquisitum, verum etiam temporibus hisce extremis ultra citroque tām in Philosophorum quām Theologorum Scholis de mirabili & obscura animarum origine disceptari variasque opiniones statui cuilibet hanc paululum inquirenti satis innoscet. Et non mirum: cūm hæc humanæ rationi adeo abdita & abstrusa videtur, ut temerarium esse multi existiment, hujus rationem inire atque explicare.

### II.

Quod etiam D. Augustinus sua cunctatione denudat, inquiens: Ego si hoc, quod de animarum origine quærimus, nec Deo nec spirituali aliquo homine docente, scire potuero, paratior sum defendere, quām rectè etiam hoc Deus sicut multa alia scire noluerit, quām temerè, quōd aut ita sit obscurum, ut hoc non solum ad aliorum intelligentiam perducere nequeam, sed nec ipse intelligam. *de origine animæ lib. 4. c. ii. & B. Chemnit. part. i. loc. Theol. mibi pag. 580.*

### III.

Et ubi de hac gravissima quæstione suam sententiam noluerit manifestare neque apertè declarare, à juvene quodam Vincentio Victore se certò posse demonstrare, animas non esse ex traduce sed de novo creati affirmante reprehenditur: quem verò Augustinus vicissim gravi objurgatione repressit, quod de re ranta, tamque obscura, quam per extatē nondum satis posset considerare, tam temerè pronunciaret vid. *Chemnit. loco supra notato.*

### IV.

Hæc cūm ita se habeant, ego ne in ijs negotijs quæ ingenio meo majores longe habent authores, me judicem aut arbitrum interponam

terporam, nihil hac in re difficultissima ex propria sententia decidam, sed argumenta ex aliorum de animæ propagatione scriptis, quædam præcipua collgam, atque expendam, ut hoc pacto judicari possit, cui sententia non sine ratione momentis sit assentiendum.

V.

Cum etiam veterum tum Pythagoreorum & Druidarum, qui absurdam quandam μετεύχωσθν hoc est, transanimationem induerunt, quæ animas à morte alterius in aliena corpora demigra- re, non hominum modò, sed belluarum, persuadere conati sunt: tum Simoniacorum, Menandrianorum & hujusmodi omnium portentosè de animæ origine somniantium, opiniones, jam du- dum explosæ, & nullius fermè sint momenti, ejusmodi tacitus prateribo, & de illis quæ hoc tempore sunt relictæ, hic scribere luet.

VI.

Possunt autem hæ de hoc articulo sententiæ in duas potissimum classes dispesci. Quidam enim animam à Deo creatam ex- trinsicè, formato jam in utero materno corpori infundi sentiunt: quidam quod intus simul cum corpore originem ex semine sumat, atque ita à parentibus unâ cum corpore generetur ac producatur.

VII.

Hic primùm quoque notandum quid creatio sit; videlicet productio substantiæ ex nihilo, quæ immediatè fit & supernatura- liter à Deo. Thomas part. 1. q. 63, art: 3. vid. D. Meisn. phil. sobr: part. 1. sect. 3. fol. 778. Deinde Generatio quod sit productio substaniæ à generante ex præexistente materia Vid. Tho: lib. 2. contra gent. cap. 87. & Sceibl. lib. de anima p. III. dis. 2, Iam ad rem ipsam.

VIII.

Inter hos autem animam corpori jam formato extrinsicè immitti affirmantes, I. sunt nonnulli, qui cum expressam in anima divinitatis imaginem cernerent, neque tantum ingenij valerent, ut exemplar ipsum & id quod ex eo ductum, quasi que effectum esset discernere ac dijudicare possent, animas nostras ex divina essen- tia delibatas ac decerpas, ipsiusque rerum omnium opificis Dei particulas quasdam esse dixerunt. Hanc sententiam Gnostici am- plexi sunt ut Ireneus lib. 1. ad versus Valent. cap. 34. circa finem + A. tur.

Fuit quoque Manichæorum blasphemia teste Augustino lib. de duabus animis cap. 2. & Hieronymo in Epist. ad Marcel. & Anapsych. missa. Deinde Plato in Timxo animas particulas & convulsiones Dei vocat, quem Stoici fere omnes secuti sunt teste Reuclino lib. 1. de arte Cabalist. vid. etiam Petrum Mon. Lascovium de homine & partibus ejus essential. lib. 1. cap. 9.

IX.

Hiverò & de hominibus nimis elatè ac superbè & de Deo pa-  
rūm pie religioseque se ferunt, qui & homines Deo exæquare co-  
narentur, & non intelligerent, ista distractio, & dilaceratio quan-  
topere aliena esset à natura omnium longe simplicissima, maximé-  
que una, neque viderent, quantam in se impietatem susciperent,  
qui si stultitiam suam pertinaciter tueri vellent, necesse haberent  
fateri partem aliquam Dei interdum & vitiorum maculis contami-  
nari & apud inferos pœnas luere ab ipsomet Deo improbitati &  
nequitiae constitutas. M. Ant. Miret. in orat. II. de præstant: animæ  
Volum. 2.

X.

Etiamsi hoc nugamentum equidem crassum & absurdum  
multis rationibus refutari haud opus esse putemus, tamen paucula  
hisce annectemus.

XI.

I. Si essentia divina ita prorsus est simplicissima & indivisibilis, ut  
nullo modo sit aut dici possit composita: non potest anima rationalis pars  
esse divinæ essentiae.

Sed divina Essentia est ita etc. Ergo.

Connexum ex eo firmum est quod essentia Dei longè alio modo sit & dicatur  
simplex quam substantia animæ.

Assumptum nititur scripturæ locis quidem validissimis Exod. 3. v. 14.  
εἴω εἰμι ὁ ὤν; Cùmenim Deus se se vocet E S S E sine ullo prædicato satis  
indicat suam essentiam non solum esse Ens, sed & essentiam quæ à nullo ne-  
que per aliud sed à seipsa & per seipsam existit.

XII.

Quod etiam ex Johanne confirmatur cap. 4. v. 24. πνεῦμα ὁ θεός  
Deus est spiritus, spiritualissima scilicet & simplicissima essentia in quam  
nulla cadit prorsus compositio; Cujus species hic ordine & quidem bre-  
viter attingam.

I. Deus

*Roma*  
**XIII.**

1. Deus non est compositus ut totum ex partibus quæ compo-  
sitione neque in animam rationalem & spirituales intelligentias com-  
petit.

**XIV.**

2. Cum Deus est pura forma & purus actus, omni materia ca-  
rens, non est ex materia & forma compositus.

**XV.**

3. Non constat ex subjecto & accidentibus: Absit enim ut Deo  
quipiam, quod per se non subsisteret, quale est accidens attribu-  
amus. Competit tamen animæ hæc compositione, cuius aliud est  
esse, aliud bonum, pium, castum, justum etc. esse.

**XVI.**

4. Compositio ex actu & potentia, in Deum quoque non ca-  
dit, quia est rerum creaturarum, quæ cum sint actu id quod sunt :  
possunt fieri id quod non sunt. Deus n. apud Prophetam Malach.  
3. v. 6. de se ipso clamat, ego Deus & non mutor. Competit vero  
hæc animabus & angelis quod eorum lapsus testatur.

**XVII.**

5. Quæ sit ex genere specie & differentia specifica in Deum  
minime competit 1. Quia Deus est summum genus imò verò trans-  
cendens, quod in ordinem generum cogi non potest. 2. Quia cul-  
la differentia potest illi attribui, cum sit solus & transcendat omnia.  
Hæc vero animæ attribuitur.

**XVIII.**

6. Et ultima compositionis species, quæ à scholasticis vocatur  
compositio, ex esse & essentia constans. Hæc n: diversa sunt sive  
speciemus essentiam sive accidentia. Ut hominem esse aliud est  
quam humanitas, Homo n: est id quod est, humanitas vero per quod  
est. Neque hæc Deo competit. Deus n: est & ipsum quod est: & i-  
psum per quod est, adeoque esse & essentia in Deo unum sunt, nec  
ὑπαρχεῖσ & στία res esse possunt in Deo diversa & ab ipso Deo diffe-  
rentes. Hæc quoq; species in animas & angelos convenit.

**XIX.**

Ex quibus omnibus apparet 1. Quod anima non simpliciter  
sit sim-

sit simplex, ut nullo modo dici composita possit 2 Quod Deus ita prorsus est simplex ut nullo omnino modo dici composita possit Vid. Petr; Mon. Lascov. lib. 1. cap. 9. de homine & part. ejus essentialis.

XX.

Notetur denique canon Concilij Bracarensis primi c. 5. Si quis animas aut angelos, inquit, credit ex Dei substantia extitisse, Sicut Manichæus & Priscilianus dixerunt, anathema sit, Sceibl. lib. de anima. part. III. di. p. 2.

XXI.

SECUNDO sunt quidam statuentes, animas ante mundum, jam olim conditas, in thesauro divinæ apothecæ reservari & in corpora nascentium illinc demitti. Sic opinatus est Origines, qui animas nostras antequam ad nostra corpora descendant versari apud superos & tamdiu beatas esse, quamdiu cœlesti Hierusalem & choro perfuruuntur Angelico, docuerit, quod dictum citatur ab Hierony: in Comment. in Eccles. cap. 4. In hujus sententiam nonnulli Græcorum teste Ruffino iverunt, ut & Hesiodus, Platonici, quod Augustinus lib. 4. de anima indicat.

XXII.

Hæc sententia superiore non minus flaccida atque infirma, facile potest luxari atque perstringi.

XXIII.

1. Ex dicto ad Roman: 9. v. 11. Cum n: nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum Electione propositionem Dei maneret &c. Unde ita colligi potest:

*Si infantes in utero materno concepti ante conceptionem suam neg<sub>3</sub> boni quippiam neg<sub>3</sub> mali possunt operari aut facere: Animæ eorum non affer- vantur in cœlis ut in divini thesauri apothecæ.*

*At verum prius, Ergo & posterius.*

XXIIII.

2. Ex dictis ad Roman: 14. v. 10 & II. & 2 Cor: 5. v. 10. ita argumentari quimus.

*Sic cum sistemur ante tribunal Dei ut recipiat unusquisq<sub>3</sub> tantum propria actionum prout gesit in corpore sive bonum sive malum, nec ulla erit mentio eorum, que ante corpus probè vel contra fecerimus: sequitur animas ante conjunctionem corporis non extitisse in cœlis Sed prius verum. E.*

Con-

*Connexum in proposito extat: propter perfectam divini iudicij rationem quae in eo consistit, ut judicemur secundum totum vitæ nostræ curriculum. ut patet ex loco citato.*

*Capitulum*

**XXV.**

*Quicquid non homo à punto essendi sive operatione animæ propria sive corporis & animæ conjunctim (quia corpus nullam per se habet operationem) egit, idque sive bonum sive malum in iudicium venire necesse est.*

**XXVI.**

*Huc spectat quoq; illud Hieronymi: Si anima, antequā in paradi-  
so formaretur, in quolibet statu & ordine & vixit & egit, necesse  
est ut aliqua causa præcesserit, cur quæ prius sine corpore fuit, post-  
ea circumdata sit corpore, In Epist. ad Pammachium contra Errores  
Johannis Hierosolymit.*

**XXVII.**

*3. Quidam autem, suam cuiq; animam à Deo quando corpus in-  
formatur, creari & attribui, eamq; tum demum Cœlitus in fundi,  
cūm fœtus omnibus suis membris articulisq; fuerit delineatus: quā  
sententiam defendunt Calvinus lib. 2. Inst: cap. 1. Coll. Conimbr: l. 2 de  
anima C. 1, q. 3. Scal: Exer. 290. s. 2. & Exerc 307. sec. 20 & Exerc. 6. s. 11.  
Lemnius de Occult: naturæ miracul. lib. 1. cap. 11. Cornel. Valer. in Inst.  
Physi. cap. 59. Timpl. in Empsych. l. 3. C. 1. q. 30. Atque omnis Calvinia-  
norum cohors. Hisce etiam consentiunt Monachi & Esauitæ quam  
plurimi. Vide Sob. Phil. D. Meisn. part. 1. s. 3. fol. 90s.*

**XXVIII.**

*Conantur autem hoc partim rationibus philosophicis partim ex  
dictis scripturæ petitis evincere. Timplerus pro huius sententiæ af-  
fertione tria adducit argumenta lib. 4. in Metaph. cap. 5. quest. 7.*

*1. Nulla substantia incorporea oritur ex traduce (per traducem n: ni-  
bil aliud intelligitur quam semen) Ex semine autem, quæ est substantia cor-  
porea non potest oriri, nisi substantia corporea non autem incorporea. Cum  
igitur anima sit substantia incorporea, sequitur animam non oriri ex tra-  
duce.*

**B**

*2. Quicquid*

2. Quicquid oritur ex traduce, id producitur per generationem. At qui nulla anima producitur per generationem: cum quia est substantia incorporea: tum quia est forma substantialis.

3. Quisquid a Deo ex nihilo creatur, id non oritur ex traduce, At qui omnis anima a Deo ex nihilo creatur, tum quia est substantia incorporea: tum quia est forma substantialis. Concludit Nullam igitur animam ex traduce oriri

### XXIX.

Ad primum quod attinet, Respondeatur a Mattheo Dressero Maior de re corporea ex Elementis solis composita conceditur. Deinde ad minorem, Semen hominis est quidem res corporea ex elementis concreta, sed a divniore tamen principio vim suam accipit. Neque nam simplex est semen sed compositum ex materia, quae est ultimi Elementi excrementum & facultate quadam opifice, quae tota est aetherea spiritusque plena. lib. 2. de part. human. corp. & animae potentiss.

### XXX.

Hac ad primum responsione reliqua duo concidunt, nec quicquam valent, quae ad probandam propositionem Timplerus disputat.

### XXXI.

2. Adducit testimonia scripturarum quae maxime illustrantur a dicit, Zachar. 12. v. 1. Fingens spiritum hominis in eo. Sapient. 15. v. 11. Ignoravit qui se finxit, & qui inspiravit illi animam, quae operatur, & qui insufflavit ei spiritum. Ecclesiast. 12. v. 7. Spiritus redeat ad Deum qui dedit eum, Timpl. in phys. lib. 3. c. 1 q. 30.

### XXXII.

Huius argumenti solutio commode potest dari, praecognita usitata distinctione de actione Dei alia generali alia speciali.

### XXXIII.

Generalis dicitur: Quod universaliter ad omnes creaturem se extendat, quicquid enim est, vivit & movetur, illa actione Dei sustentatur & conservatur, adeo ut si illa actio Dei uno ictu oculi cessaret, tota rerum natura concideret: sicut inquit Augustinus 2. Inde generalis dicitur, quod generalem, communem & usitatum cursum in natura ordinata fovet, tuetur & adjuvat: impertiens singulis vires & motus congruentes, ut pro naturae sua ratione agere possint.

34 Sp e-

### **XXXIII.**

Specialis vero actio est quando Deus præterimo sape contra ordinem secundarum causarum agit, quod facit edendo miracula.  
D. Chemnit. par. u. loc. Theol pag. 384.

### **XXXV.**

Et in generali actione etiam effectiones operationesq; causarum secundarum Deo authori tribuuntur à scriptura, ut ostendatur eas principaliter etiam à Deo profici sci. Perer: l. 8. de causis c. 8. Et ite cum actio Dei est mediata, quando agit per causas secundas.

Scheib in lib. de anima part 3. disp. 2

### **XXXVI.**

Jam igitur respondeo cum Scheibero, ad argumentum in quo committitur fallacia consequentis. Conceditur quidem in dictis illis describi actiones, sed quando Timplerus evincet notari ibi actionem Dei specialem & immediatam quæ est creatio? Fungit Deus spiritum, sed & Iesaias dicit, Deum formare corpus hominis, singulæ membra manibus fungere. Anne & illa creabuntur? Dat Deus spiritum, sed dat per genitorem quæ est mediata actio non creatio. In dicto sapientia manifestè notatur actio generalis: Nam alioquin homo non sola anima diceretur creari. De ipso enim dicitur etiam eodem dicto, quod fingeat eum (qui se finxi) Deus, cuique dicto simile est illud Job. c. 10. v. 8.

### **XXXVII.**

Possint quidem huc permulta & innumerabilia hujus sententiæ defensorum argumenta adduci atque ad ea responsiones & refutationes subjici, nisi pagellæ angustia prohiberet, quare ejusmodi militia facimus & argumenta quædam solidè hanc propositam sententiam refutantia obijciemus.

### **XXXVIII.**

I. Falsum esset quod homo generaret hominem. si anima crearetur. Homo enim sine anima non est homo, cùm anima forma sit & esse de homini, qui igitur non producit formam hominis, is non producit hominem, homo enim sine forma sua quæ est anima, non est homo. At qui parentes non producunt (secundum opinionem præcedentem) formam hominis. E. nec hominem.

**XXXIX.**

2. Sequeretur ex hac sententia, quod nos veri & naturales Adami filii non essemus. Cum vocabulum filij integrum hominis Essentiam omnibus suis partibus constantem denotet.

**XL.**

Exinde certò colligeretur: primum ignorantiae, contumaciae & aversionis subjectum esse corpus, quæ omnia sunt falsissima. *D. Meisn. phil. sob. part. 1. sec. 3. p. 912.*

**XLI.**

4. Deus foret injustus, qui animam justam & nihil tale meritam in tam impurum carcerem detruderet. Grande enim malum est, si quis peccato immunis peccato inficiatur. Deus autem absq; culpa neminem malo afficit: Ergo aut Deus injustus erit & causa peccati, aut anima ante infusionem peccavit. Illud autem impium, hoc absurdum. *D. Meis. ibid.*

**XLII.**

Et tantum de prima opinionum classe: Sequitur jam altera de traduce, quod videlicet homo totus constans anima & corpore totum hominem, constantem anima & corpore generat & producit.

**XLIII.**

Hanc verò opinionem superioribus longè probabiliorem, magisve veritati consentaneam, nos nostratis cum theologis & orthodoxis amplectimur; Quia enim illa multis & firmioribz potest rationibus tum Philosophicis, tum ex S. S. scripturæ dictis eliciti, stabiliri & confirmari.

**XLIV.**

1. Si Deus stirpibus arboribus, herbis, omniꝝ animantium generi, eam vim indidit, ut sibi similia procrearent, cur animali perfectissimo ac creaturæ nobilissimæ id ipsum denegaret? Imò verò non minus homini, quam aliis dictum est. Crescite & multiplicamini, *D. Gesner. pro lib. concord. disp. 3. cap. 2. tb. 20.*

**XLV.**

2. Si homo generat hominem necessariò una producitur anima rationalis.

At homo hominem generat. *Aristot. a. Phys. 2. tex. 26. Ergo.*

*3. Si*

**XLVI.**

3. Si anima ex nihilo creatur & cœlitus à Deo infunditur, homo non hominem sed irrationale animal generat.

**XLVII.**

4. Ex scripture locis 1. Gen. 2. v. 3. Deus die septimo quievit ab omnino opere quod fecerat. Unde ita argumentamur.

Si Deus animas quoditie produceret & non potius per vim seminalem in posteros traduceret, duo errores sequerentur. Aut non animas antem mundum productas, corporibus infunderet: aut nondum finem creationi imposuisset.

Sed antecedens negat pars adversaria & supra satis est refutatum. Ergo hōc erroris duos invehit.

Connexum patet. Utrumque autem horum credere summae est impietatis, primò quia Moses expressè testatur, Deum requieuisse ab opere creationis, Deinde error ille Origenis in numerum hæresium relatus est & à nobis supra satis explosus. Quare sequitur, animas per vim seminalem seri.

**XLIII.**

2. Gen. 46. v. 26. Omnes animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, egressæ è femore ejus, exceptis uxoribus omnes animæ 66 erant. Unde colligitur.

Si anima è femore hominis egreditur, non à Deo

Extrinsicè infunditur. At. Ergo.

Connexum satis firmum est & lucet sua luce.

**XLIX.**

Plures etiam hujusmodi rationes ex multis aliis sacræ scripturæ dictis petitæ, possent huc adduci, ut ex Genes. 17. v. 7. 1. Sam. 2. v. 20. Jerem. 1. v. 5. Psal. 51. v. 7. Rom. 5. v. 12. etc.

Sed brevitatis ergo illas mittimus. Et tandem modum propagationis apponimus.

**L.**

Etsi verò ille inexplicabilis videtur, tamen diversas aliorum de hoc opiniones, quarum præsertim quinque reperiuntur subnotabo, ut Lector benevolus aliquo modo judicare possit, cui sit subscriendum.

B. 3

51. I. Qui-

L I.

I. Quidam animam à solo patre cum semine propagari asserunt quod quoque quibusdam ex scriptura sacra eductis argumentis approbant.

L II.

Attamen si ita esset, sequeretur omnem animæ vitiositatem, videlicet ignorantiam, contumaciam, aversionem etc. quorum vitiorum subiectum est anima, (*test. Meisn. phil. sob. part. i. sec. 3. pag. 912.*) à patre & non à matre propagari.

L III.

II. Nonnulli opinantur, Infantem ex anima matris accipere animam, unâ cum spiritu vitali, qui peculiarem transitum à corde matris in embrionem sortitur. *teste Clar. Dn. Präsid. Centur. i. quest. Philos. disp. 5. q. 6.*

L IV.

Hæc sententia quoque est improbabilis, cum hoc modo pater non maneat principale ingenerando agens. Soli enim matris adscriberetur & animæ productio & corporis elaboratio atque gestatio, cùm tamen patri primæ partes, & scripturæ & communi omnium voce assignentur. *D. Meisn. in phil. sob. part. i. f. 3. pag. 919.*

L V.

III. Sunt qui non solum sine matre patrem, nec solum sine patre matrem, sed patrem & matrem conjunctim generare, atque ita statuunt, animam ex potentia materiæ seminalis per dñm ap̄lū πλαστικὴν evo-cari atq; educi.

L VI.

Sed hæc opinio etiam improbabilis videtur i. Quia sic anima & quæ ac al. & formæ physicæ, quæ per naturalem generationem tantum à materiæ potentia educuntur, divisibilis esset pro ratione materiæ :

L VII.

2. Quia corruptioni esset obnoxia. Omnis enim forma, è potentia materiæ educata nec est nec subsistit nisi in suo subiecto corpore, quo corrupto ea diutius superesse nequit.

L VIII.

3. Quia nulla incorporea & immortalis natura à principio corporeo & caduco originem trahit. *vid. excel. Dn. præsid. loco paucante citato.*

anima

*LIX.*

4. Anima foret aliquid materialium. *Magn. phil. sib p. 1. f. 3*  
*pag. 917.*

*LX.*

I V. Quidam defendunt animam cum semine à parentibus traduci & propagari, ita quidem, ut semen non existat absq; anima, sed eam in se actu latentem habeat.

*LXI.*

Quæ itidem opinio vitiositate laborare videtur. Quia si abortum faceret fœmina ante conformatiōnem embrionis, periret anima, aut sola appareret in iudicio extremo, cùm corpus nondum fuerit. Quām sit rationi absconum tum etiam sacris literis adversarium quævis judicare potest. Siquidem in altera vita illa beata imperfectinihil est futurum.

*LXII.*

V. & Postremo, à quibusdam statuitur, quod anima sit ex tradi: e nō purè naturali generatione, sed adhibita operatione divina, quā sola in & ex semine anima fœtus excitetur.

*LXIII.*

Quam Dei operationem, creationem secundi modi vocari solent.

*LXIV.*

De hac opinione quid sentiendum sit, non omnino liquet: Videtur tamen admitti haud è grè posse: Cum facile omnes istas absurditates declinet, quæ ex generatione simplici manant.

*LXV.*

Confirmari quoque potest ex *Zach. 12. v. 1.* Dicit Dominus extendens cœlum & fundans terram, fingens Spiritum hominis in medio ejus de hac & præcedente opin: vid. clar. *Dn. præsid. Centur: 1. quest. Philosoph. disp. 5. quest. 6.*

Plura qui expetit apud alios de hoc loco uberiori scribentes quærat. Nos hic pedem figimus &  
 Deo solitri uno promediocri hac cognitione gratias agimus  
 sempiternas.

*FINIS.*



214 v

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-592882-p0018-6

06 A 967

ULB Halle  
004 544 986

3



10/17



38

DISPUTATIO  
PHYSICA  
*De*  
**ANIMARVM  
HUMANARVM  
ORIGINE,**

*Quam*

*Sacro-sancta & individua Trinitatis  
auspicijs*

*In florentissima VVITTEBERGENSI Academia*

*SUB PRÆSIDIO*

*Clarissimi & acutissimi Philosophi*

**Dn. JACOBI MARTINI**  
HALB: LOGICES ET PHILOSOPHIAE  
practicæ Profess. publ.

*Publicæ disquisitionis subjicit atq; defendit*

**JACOBUS RATICHUS NEOBRAN-**  
deburgensis Megaloburgicus.

*In Acroaterio magno ad diem 26. <sup>15. Septemb.</sup> Augufti  
boris matutinis.*



WITTEBERGÆ

*Ex Officina Typographicaliannis Matthæi.*

ANNO M. DC. XV.

**Farbkarte #13**

